

STAM

Ricordo N
[Signature]



LAETA TRISTIA

AD ALOISIVM MARTINI SACERDOTEM

PRAESIDEM LYCEI GYMNASIIQVE DESENTIANENSIS

ELEGI

HECTORIS STAMPINI

Opusc. PA-I-2639

Opusc. PA - I - 2639

48119/2639

84863



Dulcis amice, mihi studio coniuncte fideli,
qui me fraterno diligis officio,
omina quae scribam, tibi nondum cognita quae sint,
hoc circumfuso luce nitente die?
Nam referente suos ignes iam sidere cancri, 5
candida lux oritur nomine dicta tuo,
qua sua quisque tibi collegae ferre et alumni,
mittere et absentes vota benigna solent.
Complures etenim te istic adamantque coluntque:
adde et amicorum quae est tibi turba procul. 10
Hos inter, quorum perhibes verissima verba,
me ponas, primum me adnumeresque velim.
Certe, si aequales memoro carosque sodales,
omnium et es princeps et mihi semper eris. 15
Sic tibi me nemo sperat flagrantius usquam
omnia perpetuo prospera fausta fore.
At dum vota meo ex animo manantia mitto,
vitaque longa tibi floreat usque precor,
surgit acerba simul latebris de mentis imago,
pectus et exurit maxima cura meum. 20
In miseris rebus nihil est atrocius umquam,
temporis exacti quam meminisse boni.

Namque SEVERINAE, dilectae coniugis alto
 infixae cordi, splendida forma redit
 25 ante oculos, qualis iuvenem me incendit amore,
 pulchra decens flavo crine puella nitens,
 sidere sub gemino, quod sol nunc praeterit, ipso,
 cum tulerat vernas terra reclusa rosas.
 Victa meis flammis, flammis exarsit iisdem:
 30 iunctae sunt dextrae; mutua pacta fides;
 nuptaque laeta mihi vinclo sociata iugali
 bis me terque brevi reddidit illa patrem.
 Felices anni, quibus est felicius unum
 forte quod exstinctae iam Deus ipse dedit!
 35 At gemini pulchri, fraterque sororque tenelli,
 infandum! morbo succubere truci.
 Obstupuere animi nostri ceu fulminis ictu:
 haud ea credidimus vulnera posse pati;
 sed reliquae natae violento nostra dolori
 40 pectora blanditiis eripere piis.
 Et subeunt etiam felicia tempora mentem,
 cum mihi Messana est patria facta nova.
 O Messana, meae vitae iucunda voluptas,
 quae memori cordi vivida semper ades,
 45 quam mecum petiit lacrimans maestissima coniunx,
 deseruit multo rore rigata genas!
 Octo ibi perpetuo placidos transegimus annos,
 o bene signandos candidiore nota!
 Apti domus nobis et Bruttia litora contra
 50 spectabat portum navigerumque mare.
 Undique ridebat caelum, vasta aequora solis
 fulgebant radiis, flabat et aura tepens;
 utque erat assiduum prope ver et florida tellus,
 perque vias caeli rara furebat hiemps;
 55 sic perturbavit nil ferme gaudia nostra:
 suavis erat nobis firma serena quies.
 Me delectabant blando modulamine vocum
 miscentes natae carmina lecta modis.
 Ipse ego tum citharam pulsabam pollice, nata
 60 pandurae melicos eliciente sonos.

Alterius digitis tabulae vocalis adacta
 pellebant alba et nigra tigilla fides.
 Saepe salutatum si quis convenerat hospes,
 audires risus et resonare iocos
 65 dictaque per ludos salibus suffusa facetis;
 saltabantque leves in numerumque pedes.
 Sic labor assiduus noster studiumque severum,
 concordans animi, cultus amorque Dei,
 dulcia carpebant insontis praemia vitae:
 laeta domus quidem erat, casta operosa tamen. 70
 Laetitia at periit paulatim nostra, relicta
 postquam Zancleae est, urbs adamata, Pharos.
 Heheu! tres natae tectum liquere paternum,
 felix nupta suum quaeque secuta virum.
 75 Sed genetrix exin lacrimis tabescit amaris
 tristitiae telis exanimata malae.
 Ingruit et morbus, quo non crudelior alter;
 at stomachi est sero cognita dira lues!
 Quis queat insanos miserae narrare dolores,
 horrendas noctes horribilesque dies, 80
 donec languentem mors abstulit, arripuitque
 paene boni fuerat quod mihi cumque super?
 Heheu! iam nusquam potero te cernere, coniunx,
 nec libare tuis oscula fida labris.
 Nunc deserta domus; spatior nunc solus in illa, 85
 uxoremque voco fletibus ora madens.
 Coniugis effigiem persaepe affatus amatae,
 heu! verba exspecto, quae mihi reddat, hians.
 Multa etiam soleo lacrimis conspergere acerbis,
 quae fuerat tenera tangere sueta manu. 90
 Sed duo sunt, longe quae habeo sanctissima, quaeque
 osculor et semper, pignora cara, gero,
 annulus is, sacram trepidans quem accepit ad aram,
 cum mea in aeternum, nupta beata, fuit,
 95 atque is, Messanae quo me donavit, ut ample
 natalem posset concelebrare meum.
 Coniugii at recolens longissima tempora nostri,
 id quoque me excruciat sollicitatque metu,

- quod timeo nequae mea dictave factave forte
 100 coniugis ex oculis excierint lacrimas.
 Si male quid dixi, aut consorti si quid amari
 — hei mihi, si feci! — nescia culpa tulit,
 parcat et, ut primum perfundar frigore mortis,
 me advocet in sacros accipiatque choros.
 105 Scilicet occasum vitae vitaeque laborum
 praescia mens animi cernit adesse prope,
 luctibus et duris morboque adiuta senectus
 extremum properat non remeabile iter.
 Sed quid ego hos casus, dulcissime amice, revolvo,
 110 hocque die festo funera maesta cano?
 Si mea fata queror miseranda, ignosce querellis:
 cernis ut ex oculis plurima gutta cadat.
 Aspice ut obscuret nostram cura anxia frontem,
 ut titubentque pedes membraque lassa labent!
 115 Anne mihi totiens mors exorata benigne
 advenit, et nobis hora suprema ruit?
 Iam si expleta mei nondum sint stamina fati,
 vitalesque auras ducere detur adhuc,
 optime MARTINI, tuque, o sanctissima coniunx,
 120 semper adeste mihi, dum mihi vita manet.
 O suaves animae, nostri solacia cordis,
 iunctas quas semper mens meminisse solet
 per varios casus aegraeque silentia vitae,
 fractum cum pectus cura maligna premit,
 125 vos ego vos semper compello, vosque serenis
 alloquiis animi triste levatis onus.
 Tu petis a templo, MARTINI, gaudia mentis,
 a doctis studiis discipulisque tuis;
 providus at fessis rebus tu servis amici,
 130 meque mones blande consiliisque regis.
 Tu fruere, coniunx, tranquilla pace sepulcri,
 gaudere aeterna luce micante potes,
 nec te iam tangunt hominum quae pectora plectunt;
 spectas a celso nubila nostra polo.
 135 Me tamen — o! vere fas sit sperare — beata
 respicis, et crebras audis amica preces.

O mihi qui auxilium fertis tot fluctibus acto,
 fertis et apta meis balsama vulneribus,
 hoc tantum tali pro munere reddere possum:
 140 vester, dum dabitur vivere, totus ero.
 Quod nisi me afflictum spes omnis fallit, utrique
 forte aliquod tribuet Musa latina decus.

Haec cum scribebam, si tres detraxeris annos,
 septima iam dederat bis mihi lustra Deus.

An. MCMXXII.